

DE FRATRIBVS ET  
CAPVT TERTIVM.

De fratribus & sororibus nati,



Ratres eiusdem matris scies ex Medio cœli, ex undecima domo, & ex loco matris. Est autem locus matris in natiuitate diurna Venus, in nocturna Luna.

Fratrum numerum post natum primogenitum scies, cum planetæ fortunati loca prædicta occupauerint, & dispositores illorum locorum fortunati fuerint, uel si cum fortunis commixtionem habuerint in locis fortunatis. Nam per numerum planetarum fortunatorum prædicta loca occupantium, numerus fratrum ostendetur. Vide etiam an sint in signis unius uel duorum corporum, ut si tres planetæ fortunati occupauerint prædicta loca, & fuerint omnes in signo unius formæ, tres fratres nato nascentur. Si duo planetæ occupauerint signa bicorporea, & unius signum unius formæ, nascentur ei quinque fratres. Si autem infortunæ super hæc loca fuerint eleuatae ex applicatione, uel si prædicta loca per oppositum uel quadratum aspectum aspexerint, paucitatem fratrum indicabunt, & maxime si Sol cum eis extiterit. Infortunæ si angulum aliquem occupauerint, præcipue Ascendens, damnantes locum fratrum inimico aspectu, & si Saturnus fuerit talis infortuna damnans, tunc nocumentum fratribus maioribus inducet. Si Mars, minoribus. Si orientales fuerint planetæ, fratres maiores, Occidentales uero minores significant. Infortunæ si super datores fratrum eleuantur, uel si eis coniunguntur, erunt fratres breuis uitæ.

Masculorum datores, sunt planetæ masculini in suis qualitatibus & opportuno situ mundi.

Fœmellarum datores, sunt planetæ fœminei in suis qualitatibus & opportuno situ mundi.

Orientales datores fratrum primos fratres significant; Occidentales postremos. Fortunæ dantes fratres, si habuerint concordantiam cum Medio cœli, uel cum loco matris, & parte fortunæ, significant amorem & amicitiam fratrum in uita, & in substantia. Si autem in prædictis locis infortunæ fuerint repertæ, aut si prædicta loca ex opposito uel quadrato aspexerint, nullam concordiam cum prædictis locis habentibus, significant discordiam, inuidiam & deceptiones fratrum.

Datores fratrum si in fortunato & laudabili statu fuerint, fratres nobiles, potentes, & magnæ laudis decernunt. Si uero fuerint debiles ac infœlices, fratres quoque uilis, ac paruæ reputationis significant.

Si talium rerum de fratribus ulterius examen habere uis. Frige figuram cœli ad instar gubernatoris fratrum, & extrahe Hylech & Almuten, & iudica in esse fratrum particulariter, sicut fit in natiuitatibus. Huc usque Ptolemæus.

Sententiæ & Aphorismi aliorum.

Pro fratribus considera.	}	Saturnum, Solem	}	&	}	}	}	}	}			
		Iouem, Martem								primum	dominum triplicitatis	maioribus
		Venerẽ, Mercuriũ								secundũ	tertiæ domus pro fratribus	medijs
		Tertiam domum								tertium		minoribus
		Dominum eius										
		Almuten significatorum fratrum										
		Consignificatorem tertie, qui semper est Mars:										
		Primum dominum triplicitatis tertie domus										
		Partem fratrum										
		Dominum eius.										

Alj